

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**De Potestate Imperatoris Ordinandi Regimen Bonorum  
Eccl. Imp. Immedd.**

**Geisler, Carl Heinrich**

**Goettingae, 1783**

§. III. Ius imperatoris confirmatur primum situ bonorum

**urn:nbn:de:bsz:31-95043**

## §. III.

*Ius Imperatoris confirmatur primum situ bonorum.*

Nunc vt proprie quaestione ingrediar, primum omnium ipsa bonorum natura et indeoles potestatem illam Imperatoris stabilire videtur. Partem enim vniuersi regni constituant, eiusque iure censentur. Quod quidem Catholici aliquando in Pacificatione Westfalica de iis bonis transfigi posse negarunt, aut monasteria adeo in vel *de territorio A. C. Statuum* esse aegre admodum et fere indignantes Euangelicis tandem \*) concessere, id profecto nihil efficit. Illud enim non propterea factum est, quod, quemadmodum nuper a quibusdam visum fuit, velut extra solis lunaeque vias ea ponerent, commercisque hominum prorsus eximerent, sed quod pro opinione, quae tum ingenia hominum occupauerat, vniuersae ecclesiae putarent, quae singularis dicata essent. Hunc quidem in modum, vt etiam non-nihil ad rectam intelligentiam tabularum, ad quarum interpretationem non nudius tertius, sed dudum me contuli, ex actis conferam, si qui forte ab iis sapere discant, neque glossatorum amplius ineptias repetant, inter pacificandum \*\*) planis verbis scripsere: *Zu dem so seynd vermöge Geist- und Weltlicher Rechten weder Bischoff noch Capitul proprietarii Domini iurium ecclesiae, fondern nur allein midi Procuratores sue Administratores, können auch vniuerso Ecclesiastico Ordini Paclis priuatis nichts begeben, vnoque contradicente seruatur ius toti ordini etc.* Huius autem rationes tum ex odio religionum, quo incensi erant animi, tum

ex

\*) I. P. art. V. §. 25.

\*\*) in ACT. PAC. T. II. p. 540.

ex vetere illa Episcorum opinione, qua ex antiqua Henrici VII. constitutione \*) id bonorum genus sibi solis subiecturi erant, tum denique ex eo repetendae sunt, quod, ne vires aduersariorum adfrescerent, a singulis ea prouinciis diuellere, atque ad corpus regni vniuersi referre cupiebant, quae illi iuris sui esse contenderent \*\*). Quod si igitur, vt ex diuerticulo in viam redeam, genus illud bonorum, vti quidem serio negare nemo poterit, territorio Germaniae nostrae continetur, eiusque partem efficit, heus! tu, amabo te, Imperatori subtrahe, cui singulae eius partes subiectae sunt, ac iure hoc datum est, vt singulas partes inspiciat, et ne quid inde ad commune reipublicae detrimenti redundet, sed vt in publica quaeque comoda rite instituantur, caueat.

#### §. IV.

##### *Deinde vero origine ac destinatione.*

Haut equidem diffiteor, esse aliquam bonorum profanorum et ecclesiasticorum diuersitatem, neque obiurgauerim adeo, vt per incitiam interdum fieri solet, atque haut ita pridem denuo factum noui, Episcopos olim illos, qui contra Ludouicum Germanicum \*\*\*) ecclesias a Deo sibi commissas talia beneficia non esse contenderent, qualia reliqui haberent. Neque hoc enim ita, vt creditur, intelligendum est, ac si ecclesiarum bona principatui subtracturi fuerint, sed, quod obtrectatores illorum ex

A 3

vni-

\*) ap. DRVMELIVM in Corp. Legg. et Consuett. p. 360.  
\*\*) v. COMPOS. PAC. DILL. c. VIII. qu. 62. p. 399. sqq.

\*\*\*\*) in Capit. Caroli Calui de an. DCCCLVIII. tit. 27. c. 15. ap. BALVZIVM To. II. p. 118. Ed. rec.